

Band V., Nr. 1352, Seite 118-120

Schultheiß, Ratmannen und ganze Bürgergemeinde in Ulm erteilen dem Grafen Albert von Dillingen einen Wahrspruch über das der gräflichen Familie von Alters her zustehende Vogtrecht und Amt in ihrer Stadt.

Ulm, 1255. August 21.

In nomine domini amen. Universis Christi fidelibus presencium inspectoribus . . . minister, consules et universitas civium apud Ulmam salutem in eo, qui est omnium vera salus. Ne gesta in tempore labantur cum tempore, consuevit modernorum studiosa sagacitas facta sua scripturarum memoriis eternare. Hinc est, quod universos vos et singulos scire volumus, quod nos ius advocatie et honorem, que comites Dilingenses ab antiquis in nostra habuerunt civitate, domino et advocato nostro Alberto illustri nunc comiti de Dilingen integraliter cum plena libertate habendum et possidendum suisque successoribus hereditariis fidelitate sibi per sacramenta prestita, quemadmodum etiam ipse nobis per iusiurandum defensionis pro viribus suis fidele promisit auxilium et favorem, ius etiam et honorem nostrum, que ex antiquis civitas nostra habuit salvum habendo, presentibus per singula confitemur. Primum quidem est, quando imperator, rex vel dux Swevie curiam Ulme c[e]lebraturus^a est, tunc dominus et advocatus noster Albertus comes de Dilingen herbergam sive hospicium accipiet in Swaichouen¹ sine dampno illorum hominum in consueto. Aliud est, quod omnes constitutiones vel conditiones pro bono pacis et honoris civitatis nostre debent cum comite Diligensi vel suo ministro statui et institui. Cum ergo propter bonum pacis inhibiti fuerint ad ferendum gladii et cutelli sub pena pecuniaria vel quacumque, tunc dominus noster comes ad nos veniens cum omnibus secum supervenientibus potest ferre gladios et cutellos. Similiter minister suus, quemcumque pro sua parte nobis prefecerit, ipso comite absente, non obstante statuto civitatis nostre, feret gladium et cutellum. Item quicquid minister nostre civitatis iudicare non valuerit, iudicium illius cause devolutum est ad dominum nostrum comitem de Dilingen

^aDie Urkunde ist in Eile geschrieben, sodass einige Male Buchstaben weggelassen wurden, was durch [] angezeigt ist.

¹Die jenseits der Donau gelegene, mit Ulm durch eine Brücke verbundene Vorstadt Schwaighofen, die Ende des 14. Jahrhunderts abgebrochen wurde (vgl. CARL JÄGER: Schwäbisches Städtewesen des Mittelalters. Meist nach handschriftlichen Quellen samt Urkundenbuch, Bd. 1 [mehr nicht erschienen], Stuttgart und Heilbronn 1831, Bd. 1, S. 100); heute Stadtteil von Neu-Ulm.

II

supradictum et quicquid illic vel in omni iudicio alio de pecuniaria pena promeretur sive cum baculo iudiciario acquiritur, ministro etiam domini nostri comitis absente, illius due partes cedunt ministro nostre civitatis, tertia vero pars domino nostro illustri comiti cedere debet. Item ad quemcumque casum nondum iudicatum dominus noster illustris comes venerit, de illo casu si vult iudicabit. Item si minister nostre civitatis de aliquo super excessu illius iudicare noluerit, volens forte illum dampnificare, si ille reus ad satisfactionem excessus sui ministro nostro se devotum obtulerit, illum minister noster non potest domino nostro comiti vel alicui iudicio vel iudici ulterius presentare. Similiter qui super excessu aliquo emendaverit domino nostro comiti, illum pro tali excessu tenetur et debet dominus noster comes aput quemlibet iudicem eximere. Item quicquid iudicabitur a ministro nostre civitatis, de hoc dominus noster comes non habet iudicare. Item minister domini nostri comitis ministro nostro a latere in quolibet iudicio consedebit. Item dominus noster comes super excessibus ministri nostri de ipso iudicare habet, nisi prius accesserit nos imperator, rex vel dux Sweuie, cui tunc cedit idem iudicium. Item cum dominus noster comes personaliter in iudicio presidet, quicquid ipse infra sedes iudicarias sine dolo remiserit, hoc debet esse remissum ex parte nostri ministri; similiter dum dominus noster comes absens est ministro suo presente vel absente, quicquid minister noster tempore iudicii infra sedes iudicarias remiserit sine dolo, remissum erit ex parte domini nostri comitis^b. Item dominus noster comes tribus temporibus anni celebrare habet provinciale placitum in nostra civitate et illic minister noster sibi a latere habet consedere, et quicquid tunc de pena pecuniaria promeretur, illius due partes cedunt domino nostro comiti, tertia vero pars ministro nostre civitatis. Debet etiam et potest inclitus dominus comes propter bonum pacis cum armatis si vult suis hominibus et civibus iudicio presidere. Item cum dominus comes extra nostram civitatem aput loca determinata, videlicet aput lapidem in Nawe², sub tilia aput Bermaringen, aput locum qui dicitur Rv̄himbv̄hil³ et aput lapidem aput Ringingen, celebrabit provincialia iudicia, tunc minister noster domino nostro comiti a latere in iudicio consedebit, et quicquid ibi de iudicio acquiretur, due partes cedunt comiti, tertia pars ministro nostro, et quicquid ibidem comes remisserit, remittendum erit ex parte nostri ministri.

^bDas Original hat fälschlich: *comites*.

²Langenau.

³Die Lage des Orts ist strittig. Es könnte der über Ruhetal sich erhebende Michaelsberg gemeint sein (vgl. u.a. CARL JÄGER: Schwäbisches Städtewesen des Mittelalters. Meist nach handschriftlichen Quellen samt Urkundenbuch, Bd. 1 [mehr nicht erschienen], Stuttgart und Heilbronn 1831, Bd. 1, S. 100, und Der Stadt- und der Landkreis Ulm, hrsg. Von der Staatlichen Archivverwaltung Baden-Württemberg in Verbindung mit der Stadt Ulm unddem Landkreis Ulm, 2 Bde., Ulm 1972-1977, Bd. 1, S. 333).

III

Item quem minister noster proscripserit in civitate nostra, si ille in proscriptione tali sex ebdomadas et duos dies manserit obstinatus, si minister nostre civitatis voluerit et pecierit, dominus comes potest illum proscriptioni secundario innodare in provincialibus placitis aput loca memorata. Item omnis proscriptus civitatis nostre aput Souilingen pacem habere debet quatuordecim diebus, etiam si dominus imperator vel rex vel dux Vlme fuerint. Quod si medio tempore gracie non fuerint reformati scilicet proscripti, dominus comes habet eos abinde per tria miliaria ad loca sibi tuta conducere. Item cum celebrantur curie in nostra civitate, tunc dominus noster comes et universi sui ferent gladios et cutellos, etiam si prohibiti fuerint. Et omnis proscriptus quacumque proscriptione tam in herberga comitis in Swaichouen, quam etiam ubique in civitate nostra habitando cum ipso comite pacem habebit, quod si no[n] obtinebit gratiam absolutionis a sua proscriptione, tunc comes habet eum conducere quocumque vult per tria miliaria a nostra civitate Vlmensi. Confitemur etiam, quod tertia pars vini, medonis et cer[e]visie in redditibus cedere debet comiti, due vero ministro nostre civitatis. Item ab antiquo statu[tu]m est in nostra civitate, ut qui a festo sancti Michahelis usque ad festum sancti Martini medonem decoxerit, pro bannalibus solvet ministro nostre civitatis duos solidos, ministro vero domini comitis unum solidum Vlmensis monete. Confitemur etiam, quod Seulingenses et Erichstainenses in nostra civitate non dabunt theloneum sive ungelt. Ut autem hec pagina robur et munimen in futurum tempus obtineat firmitatis, eam sigillorum domini nostri Alberti illust[r]is comitis de Dilingen et nostro decrevimus^c roborando communiri. Testes huius confessionis et facti sunt: Vlricus inclitus comes de Wirtimberc, Hartmannus comes illustrissimus de Gr̄vnigen, Gotfridus egregius comes de Calwe, Woluiradus et Woluiradus virtuosissimi comites senior et iunior de Veringen, Ebirhardus et Conradus magnifici et fidelissimi comites de Kirchperch^{d4}, Ebirhardus nobilis de Aychain⁵, Waltherus nobilis de Vaimingen, R̄vdolfus dapifer de Seulingen, R̄vdolfus de Hornigen⁶, Niger de Seulingen, Ebo de Seulingen, R̄vdolfus de Clinginstain, Conradus de Obinhusin⁷, Hainricus L̄vgilinus, Wicmannus de Aisilingen, minister Vlmensis dictus Schaprvnius, M. Seularius, Otto Rufus, H. Rufus, Vl. Rufus, Otto Rufus, H. Stockarius, Copprelli quatuor, A. B[o]gilinus, H. de Togan,

^cStatt *ui (vi)* steht eigentlich *u* mit einem Strich über dem zweiten Grundstrich.

^dVerschrieben *Rirchperch*.

⁴Oberkirchberg.

⁵Illereichen.

⁶Herrlingen.

⁷Obenhausen (vgl. Beiträge für Kunst und Alterthum im Oberdonau-Kreise. Beilage zum Königlich Bayerischen Intelligenz-Blatt für den Ober-Donau-Kreis, nachgewiesen (1829)-(1836/1837), Jg. 1831, S. 37–38).

IV

Vlricus Schaper, Gwarlichi duo, Liuprandus de Hallis, Dietricus Racgilinus, Vl. Welsarius, Wilarii duo, Vamacrones duo, Hainricus et Marquardus, Conradus, Iohannes, Fr. Stockarius, Wer. Monetarius, Grecus, Vl. Rossilmannus, Conradus et Vlricus filii domini Werinheri, minister de Erichstain, notarius Berhtoldus Vlmensis civitatis et alii quam plures.

 Acta sunt hec Vlme super curiam apud cappellam sancte crucis in facie universitatis, anno verbi incarnati millesimo C^o. C^o. LV^o., indictione . . .^e, XII^o. kalendas Septembris feliciter. Amen.

—

Der Textabdruck folgt dem Original.

 An roten und weißen Seidenfäden zwei Siegel: 1) Das Siegel Graf Alberts von Dillingen, sehr zerrieben und am Rand beschädigt, vgl. die Siegelbeschreibung zu Urkunde Nr. 1295 (WUB, Bd. V, S. 62). 2) Das schildförmige Siegel der Stadt Ulm, 64,57 mm: Der Reichsadler, von der Umschrift noch erhalten: + . SI . . LLVM . CIVIVM . IN . VL . . .

^eIm Original ist der Raum für die Indiktionszahl offen gelassen. Sie ist XIII.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

StA Ludwigsburg

Signatur/Titel des Originals:

B 207 U 128

Editionen:

HEINRICH CHRISTIAN VON SENCKENBERG: Iohannis Zangeri aliorumque summorum iuris consultorum de exceptionibus et replicationibus opuscula selecta: Quae Zangeri de exceptionibus tractatus ita supplementur, ut partis secundae locum obtinere possint, Frankfurt a, Bd. 2, S. 261. Wegelin: Thesaurus rerum Suevicarum, Bd. 4, S. 168 ff. (mit zahlreichen Anm.). Jäger: Schwäbisches Städtewesen, Bd. 1, S. 726. FRIEDRICH PRESSEL (HRSG.): Ulmisches Urkundenbuch, 2 Bde., Stuttgart bzw. Ulm 1873-1900, Bd. 1, S. 93.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Ulm

Aussteller:

Ulm; Bürgermeister Ulm; Rat Ulm; Bürgerschaft

Ortsindex:

(Burg) Württemberg Wüstung (21519)
 (Burg) Württemberg, Stuttgart, S, W
 Aislingen, DLG
 Bermaringen Wohnplatz (17014)
 Bermaringen, Blaustein, UL
 Calw Wohnplatz (6981)
 Calw, CW
 Dillingen an der Donau, DLG
 Dogern Wohnplatz (15350)
 Dogern, WT
 Ehrenstein Wohnplatz (17016)
 Ehrenstein, Blaustein, UL
 Faimingen, Lauingen, DLG
 Grüningen Wohnplatz (17484)
 Grüningen, Riedlingen, BC
 Herrlingen Wohnplatz (17017)
 Herrlingen, Blaustein, UL
 Illereichen, Altstadt, NU
 Klingenstein Wohnplatz (17019)
 Klingenstein, Blaustein, UL
 Langenau Wohnplatz (16851)
 Langenau, UL
 Obenhausen, Buch (Schwaben), NU
 Oberkirchberg Wohnplatz

(16990)
 Oberkirchberg, Illerkirchberg, UL
 Ringingen Wohnplatz (16816)
 Ringingen, Erbach, UL
 Schwaighofen, Neu-Ulm, NU
 Söflingen Wohnplatz (16646)
 Söflingen, Ulm, UL
 Ulm UL (Wohnplatz)
 Ulm UL (Wohnplatz)
 Ulm Gemeinde (16620)
 Veringenstadt SIG
 Veringenstadt Gemeinde (21373)